Werk

Titel: Zwei lateinische gedichte aus dem mittelalter

Autor: Böhmer, Fr.

Ort: Leipzig

Jahr: 1845

PURL: https://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?345204107_0005|log39

Kontakt/Contact

Digizeitschriften e.V.
SUB Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen

info@digizeitschriften.de

fsiglichen tag und nacht mit vil guten wercken und sasse bey dem wasser Tyberys und waren vil cristen bey im an siner herberg *u. s. w.*

i. papierfolioblatt des 15n jahrhunderts mit einem lobgedichte auf die heilige Maria in nicht abgesetzten verszeilen, leider zur hälfte defect. Wer ist dü sonne, in richer wonne, wer ist der — wer ist der sterne glancze — herkomen ist, herre jhesu christ, erlost uns — Maria muter unde mayt — gotlichir wunne alczu hand *u. s. w.*

k. ein pergamentfalz des 14n jahrhunderts.

anfang: Und daz got die wazzer —
Und daz er wolte sundern —
Die obern von den undern
Daz merket an die got—
Und die erdischen gesch—
In der got uf die erde —
Do er die menscheit g—

schluſs: — swanger und ir wolde
— sun zu muter gern
— sie solde gebern
— hohesten gotes gebot
— daz mensche und got
— die gotliche maht
— ungelauben naht.

l. ein pergamentfalz des 14n jahrhunderts mit drei lateinischen versen

(Exsu)rge sede tu *trolgast* cito recede
—clina si sumis prandia bina
—trina spernit te mea coquina:

ZWEI LATEINISCHE GEDICHTE AUS DEM MITTELALTER.

Die handschrift 56 der ehemaligen bibliothek des S. Bartholomäusstiftes, jetzt auf der stadtbibliothek dahier, Petri Trecensis historia scholastica, *in folio, auf pergament, aus dem 13n jh., enthält auf einem vorsetzblatte die beiden*

hier folgenden gedichte von himmel und hölle, welche bei der neuerdings auf die lateinische poesie des mittelalters gerichteten aufmerksamkeit mittheilung verdienen: das eine ist ein bild aus dem vorstellungskreise dessen höchstes product in Dantes groſsem werke dasteht. das vorsetzblatt ist von bräunlichem pergament, aus der ersten hälfte des 13n jh. die schrift ist blaſs und stark abgekürzt; daher einige stellen unsicher sind, über die mir auch eine vor sechzig jahren gemachte abschrift des gelehrten canonicus Batton keinen beſseren aufschluſs gab.

FRANKFURT AM MAIN. FR. BÖHMER.

1

Visionem admirande ordior historie
Et succincte scribam testum felicis memorie.
Quidam vir religiosus, fama non incognitus,
Scripsit rem quam vidit quidam in extasi positus.
Ductus animi excessu ambulat per invia;
Nulli sibi patent campi, nulla loca pervia.
Primo die moto gressu in latrones incidit
Et ligatus strictis loris pene vita deficit.
His solutum lux secunda semivivum suscipit,
Non curandum, sed mactandum scorpionum ictibus.
Tertia his liberatus traditur exilio;
Iter agit destitutus hominum consilio.
Nihil minus quarto die patitur discriminis;
Fame siti et fervore maceratur heremi.
Quinto asperis ferarum laniatur unguibus
Et frequenter laceratur bestiarum morsibus.
Sed hoc totum se perpessum arbitratur veniens
Dum in sexto intrat loca ultime miserie.
Inde linces, hinc hiene et griforum feritas
Procedendi ultra sibi interdicunt semitas.
Hinc leones, hinc dracones minantur interitum,
Aspides et basilisci tristem formant sibilum.
Horum dentibus attritus cogitur deponere
Erumnosum carnis honus quo gravatur pondere.

2. testum, *d. i.* textum. 14. *geschrieben steht* Fama

In hac ipsa tamen hora qua solvitur corpore
Vidit flumen spumans igne et corrupto sulfure.
Ibi pons est constitutus artus in examine,
Per quem transeunt invite miserorum anime.
Qui non norunt artam viam, a pontis cacumine
Corruentes in profundum absorbentur flumine.
Sed felices qui se ipsos luxu privant seculi
Et coercent studiose a carnis illecebris,
Qui se ipsos crucifigunt cum nature viciis
Et induti vite pennis exuunt spurciciis:
Hi securi et veloces ac si leves aquile
Transeunt per artum pontem in ducatum patriae.
Erat autem murus ingens iuxta flumen positus
Et in summitate muri campus amenissimus.
Ipse murus velut eris protendebat speciem,
Sine manu constitutus a summo artifice.
Sed et via per anfractus inerat deposita,
Per quam poterat ascendi ad camporum menia.
Ergo cum illuc transiret vir prefatus spiritu,
Vidit beatorum turbas tripartitas gradibus.
Prima hora ultra flumen super muri verticem
Trahet iter in immensum spatiorum limitem.
Ibi loca spaciosa illustrata lumine
Et in ipsis gens beata fruens pacis requie.
Ibi silve quam condense diversarum arborum
Poma ferunt universe saporum suavium,
Alte valde ut excedant ceterarum species.
Umbra quarum fit iocunda caloris temperies.
Abest anguis, abest rana, abest mala bestia,
Totum pulchrum, totum tutum, totum plenum gloria.
Ambulans per multos dies prope amnem turbidum
Videt hic reorum penam, hinc iustorum premium.
His perspectis in his locis et ad primum rediens
Querit ultra pertransire, ut interna nosceret.
Sed cum multa perlustrasset, ad radicem ducitur
Montis alti cuius rupis murus est argenteus.
Vidit scalam elevatam super montis verticem,

46. [*l.* Trahit. *Hpt.*] 51. *die hs. undeutlich* Aite 56. [Videt hinc. *Hpt.*] 60. *l.* rupes. 61. *l.* Videt.

Per quam scandit et iustorum contemplatur speciem.
Ibi quoque spaciosam perspicit planitiem,
Spatiose visionis exhibens blandiciem.
Inter species herbarum, prata viridantia,
Liliorum et rosarum redolet fragrancia.
Ibi multi dividuntur rivulorum impetus,
Qui de fonte vite fluunt in mille meatibus.
Sed et loca infra scripta irrigantes influunt
Et fecundant universa infra muri ambitum.
Verum sursum iuxta rivos arbores pulcherrime,
Fronde flores decorate et pomis uberrime.
Querit tamen aque fontem per pratorum intima
Et ad altioris montis ducitur initia.
Tunc ascendit dato sibi restis aminiculo
Et se cernit constitutum in regis palatio,
Cuius muri erant structi ex viridi iaspide
Et ornati universi precioso lapide,
Cuius tectum aurum purum, super vitrum lucidum,
Et in ipso splendens thronus, unde flumen oritur.
Ipsa sedes preciosis rutilat lapidibus
Et coruscat admirandis gemmarum ordinibus:
In sublimi constituta solis vincit radios
Et illustrat infra sitos electorum cuneos.
In circuitu sedis huius plurima sedilia,
Et in ipsis seniores decernunt iudicia.
Ibi pulchra super luna residet ecclesia,
Quasi sponsa viro suo, circumdata gloria.
Ante sedem assistebant puerorum milia,
Quorum vestes margarite et corone lilia.
Citharizant et decantant canticorum cantica
Et letificabant trina electorum agmina.
De sedenti super sedem non est loqui facile:
Superat nam omnem visum, sed et mentis aciem.
Sed et trinae mansionis intellectum querere,
Edocetur quid per ipsam, expedit perpendere.
Primo gradu continentur electorum populi,
Profitentes fidem trini et unius domini,
Qui humiliorum vita placant deum munere

72. [*l.* flore. *Hpt.*]

Laudis et oblationis et fideli opere.
Horum vita coniugalis portat eris pretium,
Per quod suum servi domus implent ministerium
Extat viridis coloris, per quem fides noscitur
Designare in qua vivit quisquis deo iungitur.
In secundo manent illi qui per sancta studia
Modo verbo, nunc exemplo, edificant agmina.
Horum vita per argentum designari creditur,
Cuius nitor dat splendorem salvandorum cetibus
In supremo manent illi qui contempta gloria
Mundi solum querunt regem cernere in patria.
Quorum vita auri puri estimatur similis
Et virtutum ornamento precioso lapidis.
Tria sunt ergo veneranda electorum genera
In vicis et suburbanis et in urbe consita.
Trina voce simul cantant inaudita cantica
Et collaudant regem celi qui fecit hec omnia;
Trino deo trina turba electorum carmina
Modulatur et exultat per eterna secula.

2

O felix regnum patrie superne,
In quo quiescunt agmina sanctorum
Gloria multa, decorata cuncta
Pace perhenni!
Non est scribentis calami signare
Nec eloquentis hominis narrare
Quanta paravit in te regnaturus
Deus eternus.
Ad te suspirat generis humani
Perdita proles in parente primo,
Sed redemptoris celitus directi
Morte redempti.
Bene suspirat tenebris addicta,
Que paradisi gaudiis privata

10. *die hs.* prolex.

Perdidit lumen quo fruuntur semper
Cives superni.
Namque presentis luminis splendore
Fallitur ceca iuvenum caterva,
Putans iocundum quod adimplet mundum
Fletu perhenni.
Quid enim potest homo moriturus
Nisi deflere miseras ruinas
Atque lugere incolatus sine
ıp̃re brevi.
Est namque miser et infelix valde
Qui se dum vivit exsulem ignorat,
Qui non suspirat ad illius regni
Felicitatem.
O si quis possit in palato cordis
Illius regni epulas sentire,
Sperneret cuncta que iocunda presens
Vita mentitur.
Nec mirum tamen, si notatur opus
Pro creature merito distinctum
Bonis et malis mediisque trinum
Ante paratum.
Nam celum terra inferusque simul
Considerata singula demonstrat
Dum in respectu singuli pensatur
Singulum quodque.
Inferus infra tenebrarum locus,
Desuper lumen luminis eterni,
Media maneus arida communis
Inter utrumque.
Inferus nequam angelos includit,
Regnum supernum, spem beatorum,
Terra serpentis sauciatum ore
Genus humanum.
Iam si queratur singulorum status,
Tartarum simul atque paradisum

43. [area. *Hpt.*] 46. [*dem verse fehlt eine silbe. vielleicht ist* gregem *für* spem *zu lesen. Hpt.*]

Crederet mundum, qui duo diversa
Contemplaretur.
Nam in respectu loci tenebrarum
Mundus hic locus creditur amenus;
Celi respectu baratrum putatur,
Et iure quidem.
Vallis hic namque dictus lacrimarum,
Lacrimas parans parentibus primis,
Omnem suorum filiorum turbam
Flere coegit.
Cur enim non flet homo peregrinus,
Qui super flumen sedens Babilonis
Memor est matris que privatur visu
Tempore multo?
O vere mater civitas superna,
Ad te suspirant anime fideles,
Que tui roris pocula degustant
Celo demissa.
Claritas tua claritas eterna,
Honor et decus in turribus tuis,
Et pteurorum menia iocunda
Cantica laudum.
Lapides tui lapides electi,
Aurum obriczum pulchritudo tua,
Et margaritis ianuarum decus
Omne consistit.
Preciosorum lapidum structura
Singula tui fundamenta vernant,
Et per plateas ligni vite fructus
Multiplex surgit.
O lignum felix, quod rigatur unda
Fontis eterni qui de throno manat,
Impetu cuius hylarescit semper
Civitas dei.
Hec tue laudis civitas iocunda
Et que nec lingua resonare potest,

58. *die hs.* p'rās. 71. *in dem unverständlichen worte kann der dritte buchstabe auch* c *sein;* rum *ist mit der gewöhnlichen abkürzung geschrieben.*

Imo nec cordis sufficit humanus
Sensus rimari.
Verum, si licet, latius pensemus
Quanta sit tibi gloria iustorum,
Qui laureati manent ante thronum
Regis eterni.
Nunquam laborant, esuriunt nunquam,
Semper exultant iubilant et psallunt,
Quippe cum nulla tempora festiva
Gaudia claudant.
Iam enim ymber transiit et hyems,
Flores in terra undique vernabunt,
Et exultantis turturis os nova
Cantica promet.
Voxque letantis audietur sponsi,
'Surge que dormis, propera, dilecta,
Accipe felix tibi preparatam
Ante coronam.'
Iam nuptiarum copula fecunda
Citat cantorum organa iocunda,'
Concrepat simul cohors letabunda
Cittharedorum.
Ad quorum vocem resonat et tellus,
Chori sanctorum pariter exultant,
Et inaudita convivarum corda
Gaudia replent.
Verum hec parva exhibet aspectus
Illius sponsi regis et magistri
Qui super omnes imperat et reges,
Unus et idem.
Cuius quam mira gloria, maiestas,
Claritas summa, bonitas immensa,
Cuius decoris species illustrat
Secula cuncta.
Ergo, fallacis gloria contempta
Mundi, queramus gaudia superna,
Ubi sanctorum cunei letantur
Sorte felici.

90. [ibi. *Hpt.*]